

PROGRAMMA  
DISPUTA  
TIONI SOLEMNI,

*Quam*

REFERENDUS ET CLARISSIMUS VIR,  
M. JOANNES QUISTORPIUS  
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR  
ET CANDIDATUS

*Pro supremo in Theologiâ honoris gradu  
consequendo proponit, pro more*

adjunctum, & publicatum

DECANO  
EILHARDO LVBINO.



GA 5779



1997 G 580

ROSTOCHII

Excudebat Joachimus Pedanus, Anno 1616.

PROGRAME

# DISPUTA

TIONIS SOLEMNI

ORATIONE

IN JOHANNES QUINTUS

PER SACR. THEOLOG. FACULT.

Professores in Theologiae, Jurisprudentiae, et  
Medicinae, et Philosophiae

et alios, et publicum

ORATIONE

EDUARDO REYNOLDS


ADPOTUIT

Edinburgh: Printed and Sold by James Ballantyne, at the Edinburgh Press, No. 24, St. Andrew's Street, 1825.

DECANUS  
COLLEGI THEOLOGICI  
IN UNIVERSITATE ROSTO.  
CHIENSI

EILHARDUS  
LUBINUS

S. Theol. Doctor & Professor.



*M*agna hæc ultimâ mundi  
agrotantis senectâ Ecclesia DEI in ter-  
ris militantis miseria est & calamitas.  
Nimirum, qua, ut in Apocalypsi de illâ  
prædictum exstat, instar mulieris præ-  
gnantis atrocissimos cruciatus habet,  
ut pariat, & à Diabolo persequente  
fugata, inq. exsilium pulsa jam quasi in  
deserto inter anxiferos dolorum vertices filios suos Christi fideles  
arumnabiliter enititur. Hosce autem editos filios Diabolus de-  
vorare satagit, cum alijs mille rationibus, tum verò cum primis  
per Antichristum Romanum, ejusq. Antesignanos **JESUITAS.**  
Basiliscos illos jam toti orbi terrarum, & cum primis Ecclesia DEI,  
pusillo illi Christi gregi, formidabiles. Hisce communibus hosti-  
bus, ut communibus armis, & junctis viribus occurramus jam  
dudum sollicitamur à Cinglianis, contendentibus se nobiscum u-  
nius Christi membra esse, & unum Salutis ac vita æterna funda-  
mentum tenere, Et hæctenus inter nos agitata controversia de  
verbis

verbis magis fuisse, quàm de rebus, aut certè rebus levioribus, nec  
tanti momenti, quæ pium inter nos Syncretismum aduersus ealem  
ac tantum hostem, & commune ab illo imminens periculum impe-  
dire aut possint, aut debeant. Ex his certè nos Calum & Terram,  
Angelos & homines, & horum omnium Conditorum Deum testes  
vocamus, Pace & Concordiâ cum illis, qui in fidei unitate nobis-  
cum consentiunt, nihil nobis esse antiquius; nec leviores de re-  
bus indifferentibus contentiones tanti nobis esse, ut propter illas,  
quod fidei unitas sanxerit, tam sanctum rumpere fœdus, cupia-  
mus. Verum enim vero cum vel Ethnicus ille dixerit, Se a-  
micum fore, sed usq; ad aras, Et Deus in Prophetâ jubeat, ut  
Veritatem & Pacem diligamus; Au NOS & ILLI ad unam  
Veritatis Aram dexteram pacis, & fraternitatis in Christo rectè  
jungere possimus, & super Commune Salutis fundamentum U-  
nicum JESUM Christum commune Ecclesia adificium exstrue-  
re, Christianos judices, etiam illos Cinglianos ipsos, libenter ferim-  
us. Credimus nos & docemus Deum esse Maximum, esse  
Optimum: cujus Omnipotentia nihil penitus sit impossibile, qui  
Creaverit hominem ad imaginem suam & valdè bonum, eumq;  
seriò vetuerit, ne peccaret: Et qui mox hominem propria culpâ  
in peccatum & mortem prolapsus promisso & postea misso filio  
Christo Jesu à peccato & morte liberaverit: qui filius DEI &  
DEUS homo factus sit; qui realiter humanam naturam in unita-  
tem persona adsumserit; qui sanguine & morte suâ non pro nostris  
electorum solum, sed totius mundi peccatis satisfecerit: qui suo  
Spiritu per Verbum & Evangelium prædicatum, & Sacramenta  
à se instituta, administrata homines in peccatis conceptos & natos  
regeneret, & ex filijæ ira filius DEI efficiat, Et qui filius DEI,  
Deus & homo, mediator noster ad dexteram DEI sedeat, & Ec-  
clesiæ suæ in terris militanti adsit, usq; ad consummationem sæculi.  
Hæc summa est fidei & doctrina nostra, & unum illud funda-  
mentum, quo salus nostra subnixæ aduersus inferni portas fiat, &

*æternum, per gratiam DE I, stabit. Hoc idem fundamentum an illi nobiscum teneant, si illorum libros & scripta consulamus, non immerito dubitare cogimur. Nam ut taceam quod DE I omnipotentia terminos figant, dum scribunt, dictum illud, Omnia DEO esse possibilia, habere aliquam exceptionem, quæ facere non possit, Christum, ut hominem, esse omnipræsentem.*

*Præterea, De peccato Adami disertè scribunt, dubitari non posse, Deum Adamum voluisse cadere. Condidisse hominem hoc consilio, ut reipsa laberetur. Decreto suo, quod horribile vocat Calvinus, lapsum ordinasse, ut haberet occasionem justitiæ suæ exercendæ. Deum venisse ne peccaret Adam, & tamen voluisse ut peccaret.*

*De causâ peccati scribunt, Deum velle & facere, ut in suis desiderijs impij vivant, qui, quos ad mortem prædestinaverit, prædestinavit etiam ad media, quæ ad mortem deducant. Deumq; peccata non solum permittens, sed eadem etiam efficaciter velle, procurare, & facere.*

*De personâ Christi scribunt, Communicationem divinæ & humanæ naturæ tantum esse appellationis, seu honoris verbalis. Divina realiter non competere humanæ naturæ.*

*De merito Christi scribunt, Christum non ita esse Principium Universale salutis, ut Adam est Principium universale mortis: Non se pro omnibus pretium redemptionis dedisse, Deum æterno occulto & immutabili decreto maximam partem hominum nolle servari, & ad agnitionem veritatis pervenire.*

*De Christianorum liberis docent, quod sanctis adnumerentur, quod sancta nascatur ex fidelibus progenies, quid ideo baptizetur, quia jam ab utero sint adoptati, & quod ipsa ex pijs parentibus propagatio sit illis primus ad salutem aditus, non autem Baptismus. Nullum inter, illos credere,*

*ullum hominem per Baptismum regenerari.*

*Christo deniq; Deo & homine, quod tota persona verbi sit  
extra naturam assumptam, Divinam naturam totam  
esse in humanâ, totam extra humanam, Quod tota  
hypothesis τὸ ὅλον alibi sit, ubi caro non exiit. Ex  
quibus apertissimè consequitur, Filium DEI non realiter, sed  
verbaliter tantum hominem esse factum, Et sic nudum hominem  
pro nobis tantum esse mortuum, quippe cui DEus non realiter  
aut revera, sed verbaliter tantum unitus sit. Et sic nullam  
esse efficaciam passionis Christi, quippe cum à nudo homine, à fi-  
nitâ creaturâ infinita justitiâ DEI pro peccatis nostris non potue-  
rit satis fieri. Sequitur etiam Causam peccatorum, propter  
qua homines condemnantur, non propriè in hominibus, sed in  
Deo inveniri. Sequitur impios propter suam incredulitatem  
justè non posse condemnari, quod in Christum non credant, Cum  
Christus pro illis nullo modo sit mortuus. Si enim noluit  
Deus omnes homines credere & servari, quomodo illi,  
quos noluit credere, propter incredulitatem justè damnari pote-  
runt? Sequitur deniq; Adami lapsum latius patere, quàm Chri-  
sti meritum; & plura sexcenta alia, quorum millesimam partem  
hujus pagelle angustia minimè caperit, qua in illorum libris &  
scriptis totidem verbis, syllabis, & literis leguntur. Qua quia  
cum doctrinâ in Ecclesijs nostris receptâ, quam ex Verbo DEI  
purissimam & simplicissimam hausimus, frontibus adversis pu-  
gnent, & fundamentum fidei ac salutis nostrae penitus labefactens  
& evertant; quâ solida pax, & rata concordia inter nos & illos  
sanciri ac firmari possit hæcenus videre non possumus. Certè  
illorum doctrinâ de Providentiâ, de Prædestinatione, de Causâ  
Peccati talia continet, quæ aures hominum minimè sustinent, &  
mentes penitus reformidant ac trepidant. DEUM ipsam Boni-  
tatem, & omnium Bonorum causam esse scimus. At qui quid  
de illo cogitabimus, si absoluto suo decreto maximam hominum  
partem ad æternam damnationem condidit? Nonne satius esset*

nunquam illos homines condidisse, quàm ut aeternum miseri es-  
 sent, illos condidisse? Quid humana mens magis refugit &  
 horret, quàm audire, Deum hoc consilio homines condidisse, ut laborè-  
 tur, quo illos punire, & justitiam suam in illis declarare posset?  
 Nonne sententia hæc DEU. 1 similem facit Tiberio, immani ac  
 truculento tyranno? Qui, cum Sejanum cum totâ domo funditus  
 delere decrevisset, filiam ejus immaturam & innocentem puel-  
 lam ut jure strangulare & occidere posset, prius à carnifice viti-  
 ari jussit. Hæc tam crudelia, tam immania, tam truculenta  
 non paucos ex illorum numero moverunt; ut non solum ad nostram  
 meliorem sententiam transferint, sed illorum etiam publicatis scri-  
 ptis ultrò oppugnent. Quid? quod ab illis tam facilis descen-  
 sus, tam pronus ac præceps lapsus sit ad execrabilem illum Photi-  
 nianismum, ad facerrimam illam Rosæ Crucis Fraternitatem,  
 duas illas Furias geminas & junctas sorores, Diaboli filias, quæ no-  
 strò tẽpore ex Orco emissa in Orbe Christiano, proh dolor, liberè &  
 impunè blasphemijs & contumelijs in Filium DEI immaniter  
 jam passim bacchantur. Illum certè Neo-Arianismum Zwinglij  
 discipulorum fatum esse ne ipsi quidem, opinor, negabunt: Hanc  
 autem fraternitatem eorundem esse filiam, paullo post temporis  
 filia docebit. Hoc argumentum de santiendâ inter nos & il-  
 los Pace & concordia cum hoc tempore valde frequens & usitatũ  
 sit, & de illo conscripti libri passim in manibus juniorum ver-  
 sentur: De illo docentes pariter & discentes in Ecclesijs & Scho-  
 lis exactius erudiri utile ac salutare censemus. Quo etiam  
 nomine Reverendus, clarissimus, doctissimus vir, M. JO-  
 ANNES QUISTORPIUS Sac. Theologia Professor,  
 Collega noster honorandus, Pro summo in Theologia honoris gra-  
 du consequendo materiam hanc arduam & gravissimam pu-  
 blicâ Disputatione excutiendam seriâ quintâ; die sequenti Jovis,  
 quærit 26. Septembris, in collegio Magno, proponendam duxit.

Ad



Ad quam Magnificum Dn. Prorectorem, Reverendos, con-  
sultissimos, & clarissimos Dominos collegas, Et reliquos Do-  
ctores, verbi Dei ministros, Magistros, & Ornatissimos le-  
tissimosq; studiosos juvenes, ut non solum dicto loco & tempore  
auditum & spectatum frequentius conveniant, verum etiam  
pro sua quisq; conditione, quantum ratio temporis patitur, ami-  
cè & placidè in Reverendi Domini Candidati Theses inquirent,  
eosq; examinent, invitamus. Nos vicissim studia & officia no-  
stra universis ac singulis deferimus. PP. Rostochij, sub Facultatis  
Theologica sigillo, Anno 1616. 22. Septembris.

